

Dissertatio inauguralis medica de glandulis quae praeter necessitatem in corpore humano statuuntur ... / [Johann Jacob Grambs].

Contributors

Grambs, Johann Jacob, 1688-1759.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

[Altdorfii] : Literis magni Danielis Meyeri, [1719]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bfu5vrs9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA³⁶

DE

GLANDVVLIS

QVAE PRAETER NECESSITATEM

IN

CORPORE HVMANO

STATVNTVR

DIVINA FAVENTE GRATIA

CONSENSV

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

IN

INCLYTA VNIVERSITATE ALTDORFINA

PRO LICENTIA

HONORES IN MEDICINA SVMMOS

ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CAPESSENDI

PVBLICAE VENTILATIONI

EXPONENDA

AD DIEM V. MAJI, A. R. S. MDCCXIX.

A

JOHANNE JACOBO GRAMBSIO

MOENO-FRANCOFVRTENSI

LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

DEO
PARENTI
FAVTO RIBVS
ET
AMICIS.



PROOEMIUM.

Placuit mihi speciminis inauguralis loco presentem eligere præ aliis materiam, propter plurima, a quibus liberari vellem, observata dubia: Etiam si nunc autem lubens fatear, me difficillima huic totius anatomes materia paucis hisce pagellis ex asse non satisfacisse: siquidem ejus dignitas longe majus spatium meruisset; commodiori tamen loco & tempore, ubi opera & pretium esse intellexero, pro viribus satisfacere nullus deero. Interea hasce pagellas in gratiam Nobiliss. Dnn. Opponentium observabis conscriptas, ut amplissimum præ se habeant oppositio-num campum: adeoque nimiam brevitatem excusabis; vitia, quando te æque ac me hominem errare posse non nescis, æqui bonique consules, meliora deniq; animo si retines tuo, cum orbe erudito scriptis communicare non dedignaberis,
Lector Benevole, Vale.

CAPVT PRIMVM.

*Definitionem Glandulae nominalem cum
reali continens.*

§. I.

Quoniam in hac tractatione necessaria est, licet non ita utilis plurimis apparens, vocabulorum inquisitio; paucis notatum volo vocabulum Græcorum αἰδήν (a) in plurali αἰδένες, (b) (nonnullis etiam αἰδένοι) (c) originis esse obscuræ, adeoque pro primitivo, quatenus a nullo deductum, habendum; nī quis (d) forte ab αἰδέω factur sum, respectu falsæ veterum hypotheseos spongiosæ glandularum naturæ, qua humiditatibus attractis repleri valebant, velit derivandum. Latinis per vocem *Glandula* (diminutivo a glande (e) cui pleræque similes repertæ annotantur) exprimi, non solum satis bonam, Martialique (f) aprī glandulas canenti non neglectam (inerito itaque Sanctius in *Minerva* contra Charisium negans a Perizonio (g) castigatur) sed & tam simplicibus, quibus quidem καὶ ἐξοχήν talibus a veteribus fuit adjecta, quam compositis a potiori tribuendam; Germanis vocabulo *Trieße / Trüße /* vel *Orieße* venire.

§. II.

Nullam vero ἀκραιβολογίαν hīc institutam, ambitiosa inter

(a) Galeno usitat. lib. de usu part. (b) Hippocrati familiare, lib. περὶ αἰδένων. (c) annot. Warth. adenographia p. 1. (d) vid. les œuvres de Maître François Thevenin. p. 343. (e) vid. C. Hoffm. de part. simil. C. H. p. 124. (f) Libr. III. epigr. 82. (g) vid. Lexic. Fabri vocabulo Glans.

ter glandes, glandia, glandulas, naturam & carnem glandulofam, distinctione: dum omnia, quatenus glandula subintelligenda indicatur, deque una eademque re sermo hic est, synonyma, funto. Multo minus veterum discrimen, teste Galeno (g) inter *αδέναις* & *αδενώδη σώματα* institutum, hodie non amplius observandum, (h) rectius neglectum (i) curabo.

§. III.

Quoniam circa homonymiam potius monendum, quod *apostema scirrhosum*, nucis avellanæ instar, Arabibus dicatur glandula; & tumor glandi similis, mollis, solus mobilis, absque radicibus circumjectis a partibus separatus, in emuntoriis juncturisque maxime conspicuus, Glandula GUIDONIS audiat. (k) Tandem & astragali species (vulgo sic dicti glandes terræ) glandulæ herbæ titulo salutetur. (l)

§. IV.

Ipsi nunc igitur me accingerem operi, nisi circa veterum recentiorumque definitiones nonnulla essent præmonenda: & quidem quod æque illorum (m) ac horum (n) nonnulli definitione Hippocratica contenti, circa corticem hæserint: rursus alii veterum (o) licet propiores scopo sibi visi, simplices cum compositis datis in definitionibus tanta confusione immiscuerint, ut nulla exinde in anatomicos redundare potuerit hodieque possit utilitas. Ut de recentiorum nonnullis, (p) qui mutatas ex parte definitiones veterum, cum propriis ita permiscuerunt, ut major difficultas

(g) L. XIV. Meth. med. c. 11. (h) vid. Ilmer. de glandul. (i) C. Hoffm. de part. simil. C.H. p. 124. (k) vid. Brunon. lexic. p. 124. (l) Gor. def. med. p. 4. voce *αδέναις*. (m) Galen. Columb. Spigel. (n) Verbejen aliique. (o) Stephan. Fallop. Fernel. (p) Malpigh. Hartæker. Berger. Taury, Dionis.

quam facilitas exinde orta, certa quadam opinione præoccupatum solum, aut anatomicarum difficultatum incognitum lateat, nihil dicam: & quidem acuratissimis hucusque creditis, suo, dum experientia demonstrativa, summo illo anatomix fulcro, omniumque verarum demonstrationum indiviso comite, destituuntur, nævo non carentibus, ipsove WARTHONO; qui vero, licet studiosissime glandulas descripsisse dicatur, (q) aliqualem suppeditasse definitionem fateri non erubuit. (r) Quapropter a vero non aberrabo, dicens, nullam hucusque genere, cum differentia specifica constantem, glandularum definitionem fuisse exhibitam: quoniam in hunc usque diem inter celeberrimos Anatomicos de vera illius essentia nondum convictos, literæ commutantur. Præclarum exemplum habere liceat in Viro Magnifico atque Excellentissimo D. LAVRENTIO HEISTERO, Decano spectatissimo, Patrono maximopere colendo, magnoque illo totius Italiæ ornamento, Cl. MORGAGNIO: cujus literas hac de re agentes, ad se scriptas Excell. D. Heisterus, concessit legendas.

§. V.

Sed actum acturus potero videri, ubi omni exceptione, qua optimæ definitiones non sunt liberæ, majorem non proposuero; quo tamen non obstante, quum præsentii materia ardentibus anatomicorum animos ad diligentioribus obscuræ glandularum naturæ perscrutationem excitare potius voluerim, sequentem ponere liceat: *Glandula est pars corporis organica, ex congerie triplicis perpetuo vasorum generis, nonnunquam quadruplicis, cum ductu excretorio, composita, propria tunica ad peculiare singularis substantiæ corpus constituendum, circumsepti, variis usibus, duobus tamen præcipue certis, conquassationi sc. lymphæ ulteriores, aut ejusdem excretioni, destinata.*

§. VI. Cla-

(q) secundum Malpighii epicrisin. (r) Annotante Wolfio, epistol. anat. de gland. ad Ruysch. scripta.

§. VI.

Clarior patebit definitio, quo magis glandulam partem corporis unusquisque vocat, & quidem etiam dissimilarem, ex diverso quippe genere compositam: quia paucissimæ similes examinatæ Medicis & Philosophis recte tales, qualibet particula, totum puta non repræsentante, dici possunt. Sed ad triplex perpetuo vasorum genus: *arterias*, sanguinem pro nutritione, & futura, si glandulæ exigat conditio, secretionem advehentes; *venas* eundem ad cor, ut de novo inibi laudabili imprægnetur materia, revehentes; *nervosque*, quos solos ab antiquitate (t) dubios scias redditos, & quidem glandulis, quæ vasorum divisionibus fulcimentum, adeoque sensu motuque voluntario destitutæ, nervis non indigebant; quæ vero ad succos animanti utiles conficiendos erant comparatæ, solius sensus gratia illis gaudebant. Recte (u) tamen in utriusque generis vasorum tunicis necessario, sicut & in aliis, requiruntur, nullaque, quamvis fusius in partibus, quam sectione facta conspici licet, occultati, oculis non objiciantur, a denegata præsentia ad denegandam absentiam valet argumentatio.

§. VII.

Cur vero quartum (*lymphatica*) non eodem modo perpetuum posuerim, maximus me movit autorum dissensus. Modo enim, licet illorum ortus sit solum probabilis, (x) omnes partes pervadunt, modo (y) in diversis, (sed non omnibus) visa fuerunt partibus; nunc (z) omne lymphaticum vel a glandula prodit vel saltem hanc transit, nunc (a) vero iterum mera est conjecturatio; quamlibet conglobatam

(t) Galen. de usu. part. p. 310. (u) Wolfius epistola anatom. altera ad Ruysch. (x) Bergero de Nat. Hum. p. m. 77. (y) Bohn. Circ. Anat. p. m. 202. (z) ut vult Steno de gland. p. 54. (a) Malpigh. oper. posth. p. 141.

tam donari lymphaticis. Quoniam itaque simplicibus certo eadem apponere non licuisset, cum substantiæ friabilitas exiguitasque hucusque obstiterit, solis compositis, (neque his per experientiam omnibus) fuissent apponenda; (nisi quis NVCKII delineationes justo altius memoriæ impressas eodem modo in omnibus præsentibus sibi imaginetur) quapropter suppositis dubiis abstinere volui. Apponatur interim, quicumque velit, nullam adferet glandulis noxam. De *ductu* autem *excretorio* experientia nihil certo asseverare licet, utrum ipsæ arteriarum apices (præsertim in simplicibus) an vero peculiaris substantia his annexa, (uti videtur in compositis,) ipsum constituat.

§. VIII.

Quapropter ad *tunicam*, qua ab aliis tanquam peculiare corpus distinguitur, progrediar. Quæ num æque duplex sit, uti prætenditur, (b) in simplicibus, ac observatur in compositis, *autores* detegere non valens, certo asseverare non ausim, cum plus quam lyncei requirantur oculi. Interea tamen perquam commode duplex poterit attribui compositis, una quidem communis, qua tota involvitur glandula composita; altera vero propria, respectu uniuscujusque glandulæ eadem cinctæ, qua *corpus quoddam certum* constituitur *peculiaris substantia*. Hanc, licet autores absque ulla explicatione adduxisse observaverim, nihil aliud esse suspicio, quam quod vasa arctius sint inter se conjuncta quam in aliis partibus, ut ratione proprii a DEO ipsis assignati usus, non potuisset non ita requiri. Plura quidem clarioris explicationis ergo a me expetes; sed scias, glandulas eodem laborare infortunio, quo botanicorum musci character: quo licet usque dum ignoto, si botanicis muscum offeras, eodem titulo unusquisque illorum semper salutabit.

§. IX. De

(b) a Nuckio in *Adenograph.* p. 28. seqq.

§. IX.

Denique & *usus* multus & varius, si opus fuisset, potuisset adduci; quandoquidem secundum veteres (c) vasorum divisionibus firmandis, humoribus superfluis imbibendis, partibus humectandis, succo nutritio nervis ministrando, inserviebant, pinguedinis fontes habebantur, cribra lymphæ constituebantur; quibus vero quia omnibus jam satisfactum observavi (d), ulteriori refutatione supersedebo. Secundum recentiores autem vel plurimarum usus est incognitus, vel de vero adhuc dubitatur. Cum paucissimæ itaque, de quibus verum & indubitatum usum ponere licuisset, superfuissent, duos ultimos semper certos adducere malui, quibus vel lymphaticam sanguinis portionem conquassant, hocque facto eandem excernunt, (proprie convenit compositis, licet non omnibus) vel lympham ulterius, in ipsis subtilisatam, vel per vasa lymphatica, vel per venas ad idonea loca remittunt: quandoque etiam varios in usus, excernunt, quod proprium est simplicium.

§. X.

Sed summe necessarium glandularum requisitum, *materiam* inquam, *tomentosam* vel *substantiam intermediam* aut glutinosam ponere oblitus, erroris argui potero; quapropter disquirere liceat quid illa sit: ut facile deinde colligi possit, utrum illa adsit, vel absit. Equidem nonnulli autorum (e) illam tantopere urgent, ut dubitandum existiment, an firma sit sententia eorum, qui dicunt, ad glandularum substantiam vascula tantum concurrere, omni carne substantiaque intermedia, (quæ tamen ex friabilitate saporeque junioribus in animalibus grato, posset argui) exclusa. Sed, licet altioris indaginis sit determinare (f), quid sit illa materia,

B

nihil

(c) Galen. aliosque. (d) à Nuckio p. 56. & 57. (e) v. g. Berger. p. m. 115. (f) Wolfio in epist. anat. ad Russchium.

nihil tamen præsumo esse aliud, quam extrema vasorum filamenta, apicum nomine alias (g) venientia: quæ autorum oculis materiæ, cujusdam specialis tomentosæ, intermediæ, glutinosæ, vel quandoque etiam carnis forma, imposuere; (si modo satis clare exposuissent, vel exponere possent).

CAPVT SECVNDVM

Varias glandularum divisiones recensens optimamque eligens.

§. I.

Sed semel inceptus ordo hic quoque tenendus; quapropter a veterum divisionibus incipiam. Dividebantur autem illis, modo respectu ad magnitudinem habito, in *majores*, quas in partibus cavis; & *minores*, quas in articulis omnibusque humidis & sanguinolentis locis aliis latere volebant. (h) Modo ratione usus, cap. I. adducti, in glandulas *exigui & magni usus*. (i) Nunc ratione texturæ, in *densiores s. sicciores*, & *raras s. tumidas*; (k) nunc vero ratione situs in *exteriores & interiores*: (l) sed has omnes mancas & imperfectas esse censeo.

§. II.

Quapropter meliorem suppeditare conati fuerunt alii: dividendo eas in *rotundas, depressas & oblongas*; rursus alii in *nutritias, eductrices, reductrices*; (m) sed quoniam nullus ex his verum finem affectus videbatur, accedebat divisio in *perpetuas*

(g) v.g. Berger p.m. 117. (h) v.g. Hippocr. aliq. (i) v.g. Galeno passim de usu part. (k) vid. Gorzi def. med. p. 4. (l) annotante Loffio, disput. de gland. nat. in genere. (m) Gliffonio, annot. Loffio disput. de gland. in nat. in gen.

petuas & adventitias, (n) ex qua etiam nulla utilitate (ultimis quippe p. n. prorsus non glandulis) apparente, de novo dividebantur in *vesiculares sive muscosas*, (intellige vulgo conglobatas,) & *vasculosas* (o), puta conglomeratas. Verum quam incerta sit hæc divisio, ex ipsa autoris incertitudine colliges: qua nescit fibræ muscosarum cavæne sunt, nec ne; aut vasa sanguinea vel nervosa. Ne dicam ipsi vesiculares æque vasculosas, quam has æque vesiculares ac illas, posse demonstrari: adeoque eadem difficultate teneri implicitum, qua a Charletono (p) deprædicatam divisionem in *conglobatas & conglomeratas*, mox recensendam, rejecit.

§. III.

Est autem ultima hæc divisio receptissima, dicunturque conglobatæ sive globosæ, a magis conspicuis nodis globisq; (q) vel capillaribus vasis in pilæ modum conglobatis (r); conglomeratæ contra, quia in peculiaria variæ magnitudinis organa sunt glomeratæ. Non vero & optima, modo enim conglutinatæ & congregatæ, (s) & his iterum miliares (t) in intestinis præsentibus, adduntur: modo solæ congregatæ: (u) ad hæc conglobatarum figura non semper observatur eadem & constans, atque conglomeratæ non magis sunt glomeratæ quam conglobatæ ipsæ. Quapropter ad simplicissimam & optimam propero, mentionem tantum adhuc facturus divisionis in *veras & spurias*; (etiamsi ultimæ, propria dicta substantia destitutæ, minime glandulæ sine vocandæ) quam electam divisionem optimam in *simplices & compositas* retinebo. Vocantur autem illæ,

B 2

illæ,

(n) *Wartbonus adenographia pag. 24. § 25.* (o) *Nuckio adenogr. cur. p. 8.* (p) *cæcon. animal. p. m. 46.* (q) *Wedel. exercit. Philol. p. 33.* (r) *Berger. de Nat. Hum. p. m. 115.* (s) *cit Nuck. p. 8.* (t) *vid. Malpigh. opera posth.* (u) *vid. cit. Loff. disp.*

illa, ubi vascula membrana propria tam mire includuntur, ut modo ovalis, rotunda, depressa, oblonga aliaque formetur figura; hæ vero è pluribus simplicibus compositæ, communique membrana obvolutæ, quarumque ex singulis vas excretorium exiens tendit in vas excretorium commune. Et hanc divisionem mihi sequendam proposui, servato tali ordine, ut cap. seq. 3. *veras quascunque glandulas*, ad proprium quamlibet genus non solum referendo, sed & enumeratis partibus constituentibus, usum adducendo, recenscam: quarto denique *spurias* in genere enumeratas, quid sint, pluribus exponam.

CAPVT TERTIVM.

Veras Glandulas exhibens.

§. I.

QUapropter primo loco proferam *Glandulam pinealem*, in tertio cerebri ventriculo sitam, simplicibus annumerandam, arteriis, a ramulo primo rami secundi carotidis internæ; venis, ad sinus duræ matris laterales recurrentibus; nervis, pari quinti filamentis donatam; ductu autem excretorio & usu hucusque obscuram. Et quamvis natura sanguinem, per hos ramulos a communi ramo separatum, in hac congerie exactius citiusque elaborandum voluisse certum sit; usus tamen, cui ille impendendus, locaque ad quæ revehendus, usque dum latent. Eodem illo infortunio liberari cupit *glandula simplex*, in sella Turcica, *pituitaria* dicta, quæ arterias a carotide interna; venas, ad sinus proximos revertentes, inque jugularem internam terminandas; nervosque a pari quinto obtinuit.

§. II.

Sed ad oculi glandulas ; primo *innominatam* in superiori oculi regione sitam compositam ; arterias a carotidis externæ tertio ramo ; venas ; ad jugulares recurrentes ; nervos paris quinti filamenta accipientem ; ductulosque excretorios plures, canaliculos *Stenonis* dictos, qui intra palpebram progredientes, in exigua non longe a ciliis distantia, oscula desinunt, habentem. Secundo *intra palpebrarum tunicas* latentibus simplicibus minores multas, quæ vasis cum præcedenti iisdem gaudentes, ductibus Meibomii liquorem effundunt, cujus & præcedentis usus est perpetua oculorum humectatio, simulque pulveris, qui oculos involans illis adhæret, absterfio, panno quasi madido vel linteo, inotu quidem palpebrarum reciproco, effundunt.

§. III.

Utraque sub auricula conglomerata jacet glandula *Parotis*, quæ arterias a quarto Carotidis externæ ramo ; venas, ad jugulares externas redeuntes ; nervos, partim a paris quinti ramo quarto, partim a paris septimi portione dura, in specie tamen portionis illius ramo secundo per transversum currente, ductumque obtinuit *Stenonianum* dictum, qui genam juxta dentem molarem secundum perforans, liquorem fecernit naturæ salivalis, ciborum resolutioni non solum inservientem, sed & omnes oris plagas itriguas servantem, mollique visco oblinientem. Non minus *maxillarem Warthoni in- & externam*, utramque compositam petit ordo. Posteriores quidem in medio fere inferioris maxillæ, priorem vero immediate intra maxillam inferiorem sitam. Arteriæ utrisque adsunt a tertio Carotidis externæ ramo, venæ ad jugulares externas recurrentes, nervi a paris quinti rami primi ramuli secundi filamentis circiter quinto aut sexto, ductus excretorius prope frenulum linguæ post dentium

incisorum radices forma papillæ in os apertus, liquidum exprimens, resolutionem alimentorum in ore non modo adjuvans, sed & deglutitum eandem in ventriculo ulterius promovens.

§. IV.

Sequuntur compositæ *sublinguales*, utrinque ad linguæ ligamenti inferioris latera sitæ. Quarum arteriæ sunt a ramulo primo & minimo rami primi Carotidis externæ; venæ ad jugulares revertentes, nervi a paris quinti rami primi ramuli secundi filamento quinto, ductusque excretorius, idem, quod præcedentium, munus perficiens. Nec ab his separabo conglobatas in *palato, buccis, labiis* latentes, quæ arterias habent carotidis externæ ramulos, maxime tamen rami tertii varios; venas ad jugulares externas recurrentes, nervos, varia paris quinti filamenta, ductum excretorium quælibet indubitatum, quo mediante usus præcedentium est manifestus.

§. V.

Quare jam ad compositas in faucibus hærentes *Tonsillas* pergo, quæ arteriis donantur Carotidis externæ ramulis, venis ad jugulares recurrentibus, nervis paris quinti ramulis, ductibus excretoriis variis, quorum ope fauces cum larynge humectantur & lubricantur, coctio quoque ventriculi depluicione in illum adjuvatur. Et Cartilagini scutiformi adjacentem compositam *Thyroideam*, arteriis a primo carotidis externæ ramo, venis ad jugulares externas recurrentibus, nervis filamentis paris quinti divitem, ductu vero excretorio, num gaudeat, eoque mediante vel aspera arteria vel œsophagus lubricetur, faciliorque cartilaginum motus adjuvetur, incertum, multoque incertius, num juxta quendam Italum (a) habenda sit ovorum verminosorum sedes

(a) *Vercellonius in dissert. de gland. conglomerat. œsophagi.*

sedes. Tandem & nonnullæ simplices hinc inde in *collo* in interstitiis musculorum & pinguedine reperiuntur, v. g. ad vasa jugularia, *jugulares* propterea dictæ; in occipite & cer-vice, *occipitales* & *cervicales* inde vocatæ, quibus omnibus arteriæ sunt a Carotide externa, venæ ad jugularem externam recurrentes, nervi a vertebralibus colli, ductus excretoriæ cum usu ignoti. An forte in gratiam lymphaticorum? dubium est.

§. VI.

Non minus in *thorace* diversæ latent tam simplices quam compositæ. Ex his primæ sunt *bronchiales*, circa divisiones bronchiorum externe adhærentes. Arterias & venas a bronchialibus, nervos, paris vagi filamenta accipiens, ductu vero excretorio, quo humectationi bronchiorum, ratione perpetuo necessariæ respirationis, vel oesophago, inservire posset, huc usque ignoto, obscuræ. Secunda ad initium arteriarum venarumque subclavium sita, *Thymus*, arteriis constans rami primi arteriæ subclaviæ, venis ad subclavias redeuntibus, nervis paris vagi & intercostalis filamentis; ductu excretorio usque dum non invento. Attamen, cum potissimum inserviat infanti, cujus sanguis per pulmones circulare impeditus, elaborata lymphæ (ductu advehenda) sanguini prius, quam hic cor incidat, diluenda opus habuit, ad præstandam eandem circulationis *ἐνέργειαν*, quam pulmones alias dilatati juvissent, non injuste supponendo. Tertia *dorsalis*, simplex, circa quartam vel quintam thoracis vertebram sita, arterias habet ramulos trunci aortæ, venas ramulos *ἀζυγος*, nervos paris vagi filamenta, ductum excretorium nullum quidem notum, attamen quando humectationi oesophagi inservire a quibusdam præsumitur, admittendum.

§. VII.

Tandem & *abdomen* non caret glandulis: sic enim per *mesenterium* disseminatæ sunt multæ simplices, quarum arteriæ

teriarum diversi sunt coeliacæ arteriarum ramuli, venæ ad venam portæ redeuntēs, nervi paris vagi & intercostalis filamenta. Ductus vero excretorii nulli sunt manifesti; attamen dum vasa lactea illas transcurrunt, dubio sine in finem ulterioris chyli elaborationis liquidum his vasis communicatur. Ordo nunc jubet duodeno, mesenterio lienique annexam compositam, *πάρων* *αγγείων* examinare. Hoc arterias recipit coeliacæ ramos, venas splenicās, nervos intercostalis filamenta, ductum quoque excretorium habet sat manifestum, cujus ope liquidum salivæ naturæ, elaborationi chyli inserviens, in duodenum seceratur. Sed *lieni* quoque, *hepatis*, *vesiculae felleae* adstant diversæ simplices, vasa a proxime adstitis visceribus accipientes; quarum vero ductuli excretorii nulli noti, quorum adminiculo, liquidum receptaculo chyli forsitan per lymphatica cum illis communicantia, infundendum secerneretur. Sed priusquam ad *renales* compositas accedam, *lumbares* enumerabo simplices, quibus omnia vasa ejusdem sunt nominis; ductus vero excretorii cum usu latent. Adjacent vero compositæ renales, sive *capsula atrabilaria*, superioris renum parti, habentque ut plurimum arterias emulgentis ramos, venas ad emulgentem redeuntēs; nervos; intercostalium filamenta; ductus vero excretorii nulli sunt noti, præter lymphatica, quibus liquidum infantis chylo, uti probabile, commiscetur pro majori non solum fluiditate, sed & elaboratione, seceratur.

§. VIII.

Jam vero ad *prostatas*, glandulam inter intestinum rectum vesicæque collum cordiformem, compositam. Hujus arteriarum sunt rami iliacæ internæ, venæ iliacæ internæ rami ad cavam redeuntēs, nervi plexus pelvis filamenta, ductusque excretorius non unus, sed circiter decem, quibus liquor albicans, semini vehiculi consistentiæque melioris gratia supeditan-

peditandus fecernitur. Circa digiti quadrantem infra modo dictam, utrinque a latere urethrae, remotis musculi acceleratoris partibus superstratis, *duae* aliae conspiciuntur compositae, quae arterias habent ab hypogastricis, venas, ad hypogastricas & pudendas recurrentes, nervos, filamenta ossis sacri ultima, ductus excretorios, liquorem mucilaginosum, urinae acrimoniae obstantem, & urethrae lubricationi inservientem, in urethram deponentes. Vid. *Cowperus* de gland. urethrae. Adhuc *una* inter duas urethrae membranas circuli speciei urethram ambit composita, cui vasa cum urethra communia, ductus vero excretorii liquidum mucilaginosum oblitioni urethrae inservientem in urethram effundunt. (a) Quid de *lumbaribus, iliacis, & sacris* simplicibus, circa os sacrum & divisionem vasorum iliacorum sitis, quae vasa a proxime adjacentibus accipiunt, dicam, non habeo; quia earum ductus excretorii ususque obscuri. Forte liquidum lymphaticis copiose illas ingredientibus infundunt, ad receptaculum chyli revehendum.

§. IX.

Verum commemorandae quoque sunt simplices in *inguinibus*, juxtaque *musculum sartorium* sitae, arterias ab iliaca & cruralis ramis; venas, ad iliacas & cruales revertentes; nervos, filamenta cruralis anterioris, obtinentes; ductus autem excretorii ususque ignoti sunt. Deinde sub axillis haerentes simplices, *axillares*, quae arterias habent axillaris ramulos, venas ad axillares revertentes, nervos a brachialibus ramulos; usum, massam sanguineam a superfluo liberatam reddere puriorem. Tandem & hinc inde in articulationibus satis magnae quaedam inveniuntur simplices, *mucilaginose* dictae,

(a) *Littrius Hist. Acad. Reg. Scientiar. Ann. 1700.*

etæ, quibus vasa suppeditantur a vasis partibus externis adsi-
tis, ususque, liquidum lubricationi & humectationi articula-
tionum inserviens secernere, esse videtur.

§. X.

Ne hic vero oblitus videar vasorum lymphaticorum; illorum descriptio ex cap. I. §. VII. repeti potest. Eandem ob causam figuræ, formæ, & magnitudinis glandularum neglectam positionem, dum nimia in subjectis inventa varietas illa omnia certa ponere prohibuisset, observabis. Et ne quis me multas autorum veras glandulas neglexisse objiciat, v. g. glandulas duræ matris, narium mucosas, aurium ceruminosas, uvulæ, epiglottidis, arythenoideas, tracheæ, œsophagi, omenti, ventriculi, intestinorum, glandulam tertiam Cowperi, nympharum, circa tendinem bicipitis, & in flexura genu sitas, &c. eas, a quibus autoribus describantur, quia pluribus recensuit Excell. HEISTERVS (b) earum disquisitione prolixiori supersedeo. Placuit quidem illas hic recensere, etiamsi omnes in dubio relinquam, ut, si *propria substantia* experimentis aliquando fuerit demonstrata, veris jam hic sint annumeratæ; sin minus, primum locum inter spurias obtinebunt.

CAPVT QVARTVM.

Spurias Glandulas recensens & quid sint, demonstrans.

§. I.

PRiusquam & hic secundum ordinem hucusque servatum a capite incipiam, monendum, quod inter varios secre-

(b) in Compendio Anatomico nuperrime a. 1719. edito.

secretionis modos etiam viguerit, quo glandularum ope omnis secretio perficienda (c) fuerit credita, & quidem adeo, ut tanquam ad oraculum ad illas confugerint scriptores. Quoniam autem accuratiores anatomici secretionem æque bene sine glandulis perfici observarunt, (d) non immerito multæ glandulæ, quæ in quibusdam partibus statuuntur, rejiciuntur: ex quibus primo loco enumerare liceat *corticem cerebri*; quod, licet Hippocrati (e) glandulæ simiile audiat, nihilominus tamen tota glandulosa a Malpighio (f) aliisque statuitur. Verum observata maxima autorum quoad essentiam diversitas cerebrum ullo sine dubio glandularum numero eximere suadet, injectionibus (g) secretionem solis vasculis peragi confirmantibus. *Plexus choroides*, qui ex tenuissimis arteriarum venarumque ramulis, ductu serpentino cohærentibus constans, (h) plurimis glandulis, in statu f. n. non observandis scatere dicitur. *Dura mater*, (quæ in elevatione distincta punctula rubra, vasa sanguifera abrupta denotantia exhibet) & *pia mater*, quæ in statu p. n. quandoque folliculos membranosos, peculiari tamen glandularum substantia destitutos, proponit, glandulis obsitæ dicuntur, quæ vero in statu f. n. non sunt conspicuæ.

§. II.

Caruncula lacrymalis in cantho utriusque oculi interno locata, membranæ palpebræ interioris, per quam lacrymæ in cavitatem narium effundendæ, diriguntur, est reunionio, nomine glandulæ, (cujus tamen hypothesis substantia

C 2

glandu-

(c) secundum Malpigh. aliosque. (d) v. g. Ruyschius, Bergerus, Bianchus aliique. (e) libr. περὶ αἰδέων. p. 418. (f) Malpigh. de cerebro. p. 270. (g) Ruyschii. (h) annotante Begero p. m. 282.

glandularum veterum absorbente humiditates nititur) indigitatur. Quin & brevi restitutus humor oculi aqueus effusus glandulis secerni fingitur (k): & pars narium externa inferior, (ubi pili conspiciuntur, plurimis glandulis scatere dicitur, quæ & negari non possent, si, secundum Hippocratem, in locis, ubi pili, etiam adsint oporteat glandulæ, verum esset: sed quis secretionem in duabus his ultimis partibus, quia glandulæ ibi non reperiuntur, solis arteriarum extremis fieri dubitaret?

§. III.

Pulmones ex bronchiis, vesiculis, vasisque intertextis compositi, a quibusdam recentioribus glandulosi, sed immerito, statuuntur. *Pericardii* quoque liquor, ex plurimis per illud disseminatis glandulis (l) secerni dicitur: annon vero ille, si inde fecerneretur, æque vasculorum extremis secerni posset, cum glandulæ hic non conspiciantur, doctis judicandum relinquo. *Nec cordis pinguedo, nec sternum, nec diaphragma, (m) nec pleura, nec mediastinum* a glandulis, si autoribus credere velis, libera sunt.

§. IV.

Quid de glandulis peritonæi, ut & de glandulis omentis dicam, in statu s. n. proffus non conspicuis, cum hic secretio, sicut in aliis partibus, arterioli fieri queat? aut quid de *lienis hepatisque* substantia proferam, quæ injectionibus & elutionibus ex solis vasculis constare confirmata est, licet utraque audiat glandulosa. *Litigiosa renum substantia* nonnullis etiam dicitur glandulosa, (n) cum tamen exterior sit vasculosa, & interior fibris simul permixta, quæ tubuli Bellini vocantur.

Ure-

(k) ut vult Dionis Anat. p. 70. (l) ut vult. Cole de Perspir. insens. p. 140.
 (m) vid. Theatr. Anat. Manget p. 218. de glandulis. (n) Malpighio, Boerhavio, Bellino.

Ureterum tunica interna hinc inde præbere dicitur glandulas (qui potius folliculi membranosi.) *Fibrosæ & musculosæ uteri substantia* quoque glandulæ intermiscuntur. *Placenta uterina*, licet differre videatur autoribus (o) a glandulis, certas ob causas illis tamen non est libera: rite tamen re considerata, non nisi papillofæ vasorum sunt extremitates. *Ovaria*, quæ substantiæ sunt membranosæ & fibrosæ, plurimis vasis intertextæ, quibusdam sunt glandulæ (p). Ex parvis quoque glandulis oriri ferunt *lacunas Grafi*, circa urethram conspicuas; & *Urethra muliebris* (q) cum *Clitoride* (r) glandulosa ab autoribus describitur.

§. V.

Per *vesicæ felleæ & urinariæ tunicam* dispersas nonnulli volunt glandulas, & *vesiculæ seminales*, meræ capsulæ, ad semen ex testiculis colligendum & asservandum confectæ, illas secundum quosdam habent intermixtas (s), (sed vix in statu secundum naturam.) *Urethra virilis*, & *corona penis*, cum *præputio*, illis etiam gaudere dicuntur (t); sed admodum difficile est, illas a papillis nerveis certo distinguere. *Vasculosa testium & epididymidum substantia* audit glandulosa. *Mamma* repletæ dicuntur glandulis globosis, ubi tamen pinguedo. Agmen hucusque adductum claudent glandulæ *subcutaneæ* *miliares Stenonis*, & *minores mucilaginosæ Haveri* (u): quarum illæ a recentioribus per injectiones mera vascula esse sunt demonstratæ, propria substantia glandularum destitutæ; hæ vero nil nisi subtilissimi vasorum plexus autopsia deprehenduntur.

(o) *Warth. adenogr. p. 283. seqq.* (p) *Warth. adenogr. p. 232.* (q) *Vid. Morgagn. advers. Anat. prim. §. 10.* (r) *vid. Warth. p. 232.* (s) *ut vult Warthonus p. 208.* (t) *ut vult Tyso apud Corvuperum in Myologia.* (u) *in Osteologia sua passim.*

§. VI.

Atque sic omnes fere corporis partes, glandulosas vulgo dictas, recensui, ut adeo paucae restent, quae mihi evaserint, & tamen suos habeant assertores; a quibus vero recensendis brevitatis gratia abstinebo: quoniam fatius erit indicare, omnes hucusque recensitas spurias, proprie non esse glandulas: & si non sunt tales, folliculi vel extremitatis nomen illis tribuere praestat: insimul vero ostendam, non opus esse in quacunque secretione glandulis, quoniam illa alio modo solis vasis aequae fieri potest, uti mox pluribus demonstrabo.

§. VII.

Ad illud itaque, illas non esse veras, quod attinet, evincit id 1. *denegatus* ipsis *proprius* verarum *habitus*, quo a Patronis demonstrato, veris erunt accensendae. 2. *Maximus autorum* quoad descriptionem *dissensus*: qui in verarum descriptione non invenitur obortus; cum plebeji veras intuentes, etiam non interrogati, illas tali titulo exprimant, has vero non idem. 3. Quia tota hypothesis nititur falsa quorundam sententia, quod, *ubicunque* secretionem vel humedationem sit opus, *ibi* glandulas adesse oporteat. 4. Quia multi auctoritate Hippocratis & Galeni inducti, partibus glandulas denegare noluerunt. 5. Quod experimenta illas demonstrandi, vix nisi a statu p. n. sint desumpta.

§. VIII.

Folliculos itaque, ubi conspiciuntur, expansiones praesumo esse membranosas, vasis firmioris baseos loco substratas, ne fluctuent; deinde, ut eadem libera absque turbatione, ab injuria externa illata, per folliculos reptent, adeoque non
 tam

tam facile lædantur. Secretionem itaque, in prædictis partibus, extremis vasorum papillis fieri, quis negaret: cum secretio omnium totius corporis maxima, chyli nempe ex intestinis in vasa lactea, absque glandulis, (quas quidem nonnulli supponunt) fiat: propriaque tandem testari possim experientia, me in locis, ubi vasa lactea incipiunt, glandulas non observasse: cum primis etiam, quia notavi glandulas intestinorum majori adesse in copia, ubi vasa lactea vel defunt, vel saltem paucissima adsunt, ut circa finem ilei, & in intestinis crassis. Præterea in reliquis visceribus, glandulosis dictis, nihil veram glandulam repræsentans, reperitur; sed affirmare potius possum, me lienem heparque humanum accurate eluisse, nihilque nisi vasorum congeriem, quam adhuc in liquore conservo inspiciendam, restitisse: adeoque cum potior sit experientia rationibus, in tantum affirmo, non opus esse pro qualibet secretionem advocare glandulas, donec non solum rationibus meliora edoctus, sed & experientia manuali propria convictus, spurias pro veris agnoscere cogar: quo factò, lubentissime subscribam. Tu vero, Lector Benevole, quamvis velle suum cuique sit, nec uno voto vivatur, *Falsas proba, veras retine.*

TANTVM.

ERRATA. Pag. 16. lin. 23. leg. liquidum, quod. Ead. pag. lin. 25. leg. elaboratione.

Dicere

Dicere difficile est Medicis , quæ GLAN-
DULA pars sit ;

Nondum Doctores hoc docuere satis.
Corporis hinc omnes mire confundere partes
Cœperunt , & pars glandula quævis erat.
Nunc quivis plexus vasorum glandula dictus ;
Nunc membrana omnis glandula facta fuit.
Mox cerebrum , spleni , pulmo , iecur , renesque
vocati

Glandula ; nunc quævis bullula talis erat.
Ast hunc dum satagit prædurum solvere no-
dum ,

Doctum demonstrat GRAMBSIUS in-
genium.

*Nobiliss. DN. CANDIDATO, Amico
& Conterraneo suo dilectissimo,
gratulationis causa p.*

LAVRENTIUS HEISTERVS,
Ord. Med. h. t. Decanus.

